

ANN. XIX - FASC. V


MENSE MAIO MCMXXXII

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-
siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea
facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis,
cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE col-
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Maio MCMXXXII

Fasc. V

ALMA ROMA

LATITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae sep-
tentrioinalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequāns; *ante sol-
vendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo
Vecchio, 96.*

DE STUDIORUM LATINORUM UTILITATE

Ad Magistros linguae latinae.¹

Latina studia tironibus tradituri, amici,
vehementer laetari possumus, quod ea est
nostra disciplina, quae (si modo recte ac
diligenter rem administremus), non modo
utilis sit, verum etiam facilis et iucunda.
Quamquam enim nemo sobrius poscit ut
oblectamenta in studiis sibi suppeden-
tur, abunde sufficit si prosint; neque la-
bores discendi eos deterrebunt, qui hone-
stiora capessere maluerunt. Mathematicis
rebus pauci delectantur: quae tamen adeo
necessariae sunt, ut omnibus pueris imponi
soleant. De utilitate igitur studiorum lati-
norum ante omnia cogitandum nobis atque
disputandum est.

Quintuplex autem utilitas in latina di-
sciplina cernitur: explicatio, praeparatio,
exercitatio intellectus, litterae, sermo.

Atqui latina lingua apparet explicatio
tum legum generalis syntaxeos, tum vo-
cabulorum locutionumque plurimarum in

¹ Eo libentius scriptum hoc in nostras paginas re-
ferimus, quod inde fiat palam, vel in ipsis Americis
humaniorum studiorum viros praeclaros esse, qui co-
gitata ac desideria nostra nobiscum participant.

cotidiano usu patrii sermonis obviarum.
Anglica grammatica praecipue mihi oc-
currit; quae quam difficilis explicatu sit
omnes fatentur. Etenim analysis synthe-
tica tantum abest ut ad certas leges reyo-
cetur, ut saepenumero dubites, quaenam
pars orationis haec vel illa vox habenda
sit. At Latinis nulla dubitatio suboriri
potest; immo vero tantum beneficium e la-
tini sermonis clara certaque natura perci-
pimus, ut, si talis sermo nobis deesset, fin-
gendum aliquem fuisse putem, quo pro
norma loquendi uteremur.

Locutiones autem hodiernarum lingua-
rum quis absque latinis explicet? Exempli
causa, verbum *medicinae* considerate.
Duas id significaciones apud plerosque
obtinet: studemus quippe medicinae, et su-
mimus medicinam. Latina vero disciplina
hos sensus optime exponit, quem Latinis
adiectivum sit femininum *medicina*, cui
vel *ars*, vel *res* (hoc est medicamentum)
per subauditionem adiungitur.

Praeparatio autem triplex e latinae lin-
guae notitia elicitor, ad disciplinas natu-
rales, ad philosophiae theologiaeque studia,
vel romanicas linguas. Ad disciplinas qui-
dem naturales quod attinet, constat inter
omnes quam necessaria res sit in id genus
quaestionibus certa atque communis «no-
menclatura». Tamen extra latinum ser-

monem incerta, confusa, ambigua nomina reperimus. Qua de re factum esse videmus, ut latīnae « nomenclatura » ubique gentium vigerent; quin immo, si quae vel herba vel animal latīno nomine caret, finitur nomen, ut omnis in posterum praecludatur dubitatio.

Quod utinam in theologia et philosophia ubique fieret! Etenim ad vulgus vulgari sermone de huiusmodi rebus disputare plurimos videre est. At rectos sensus tribuerē vocibus hārū rēfūm propriis vulgus plane nescit. Est igitur in latīnis haud mediocre contra sophismata remedium.

Omissis vero romanis linguis (quarum vocabula ex antiquitate latina fluxisse in confessō est), exercitatio duplex in hac disciplina invenitur; legendis latīnis quaelibet vocula varias habet exercitationes. Verbi causa, si vox *clavis* in scripto reperiatur, statim iudicandum est ad quemnam nominativum referratur. Tres autem nominativi hanc vocem pariunt: *clava*, *clavis*, *clavis*; aliae igitur ex aliis tum significaciones, tum leges syntheticae perpendendae sunt, donec ad rectum verumque scriptae vocis sensum, omni amoto dubio, perveniat.

Porro in scribendo latine haud minus animus colitur. Nam vel ipsa latīni sermonis inopia antiquitasque prodesse consuerunt, dum hue illuc animus scribentis volitare cogitur, ut ambiguitatem evitet plenumque sensum edat.

Latīnae litterae non unius aëvi sunt. In scholis quidem publice constitutis *classicorum* tantum scriptorum mentio viget. At, aëvo illo extincto, ingentem sane Christianorum multitudinem exstisit novimus; quibus postea medii aëvi auctores non sine nostro emolumento successerunt.

Postremum beneficium latīnae disciplinae sermonem esse dixi. Communem interpretēm (qualis per millennium Europaeis latīnus sermo fuit) orbis noster dudum quærerit. Quippe obstant recentiores linguae: hae enim, quia facilius discuntur, antiqui-

tatem depellunt: quae tamen inter se rivalitate perpetua contendunt, ita ut nulla earum ceteris anteponatur. Manet igitur vel hodie latīnus sermo unice communis atque publici iuris, sive, ut ita dicam, *internationalis*. Sed de hac re plura disputare nolo. Melioribus enim et docendi rationibus et doctoribus opus erit si haec latīni sermonis utilitas restituenda est. Nihilominus tamen in beneficiis latīnae disciplinis enumerandis nullam partem praeteundam putavi.

Valete.

T. T. CHAVE.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De verbis eleganter omittendis.

VIII. – In sententia principe, frequenter retinent, plerumque expresso adverbio:² 1^o) verba « facio », et « dico »,³ quibus tunc adverbium saepe adiungitur; v. g.:

¹ Cfr. fasc. sup.

² Nisi tamen usus est contrarius; v. g. in usu receptis formulis.

³ « *Facio* » desideratur in his formulis: « *Nihil aliud quam* », « *nihil aliud nisi* », « *quid aliud quam* », « *nihil praeterquam* »; v. g.: Ego *nihil aliud* (facerem), *nisi* eum defendarem (Cic., *Pro Syl.*, 12). In his autem desideratur « *dico* »: « *Quid multa? Quid plura? Ne multa, Ne multis, Quid? Quid vero? Quid tum? Quid ergo? Quid enim? Quid quod? Quid si?* » v. g.: *Quid? Ili* ipsi summi viri (Cic., *Pro Arch.*, 7, 15).

NB. – 1^o) « *Dico* » præterea retinetur in formulis huiusmodi: *De quo alias* (dicam). — Ut Plato (dixit). — Ut ego, etc.; v. g.: Philosophia quid est aliud nisi, *ut Plato* (dixit), *ut ego* (dixi), inventum deorum? (Cic., *Tusc.*, I, 26, 64).

2^o) In oratione directa etiam omittuntur « *ait* », « *inquit* », etc., praesertim in enarratione dialogi, ubi solum dicitur « *tum ille* », « *huic ego* », vel quid simile; v. g.: Turpemque aperto pignore errorem probans: En hic declarat (*ait*), quales sitis iudices (PHOEDR., 5, 5). — Cipius olim: « *Non omnibus (aiebat) dormio* » (Cic., *Ep.*, VII, 24, 1).

Qui in virtute summum bonum ponunt, *praeclare* (faciunt) illi quidam (Cic. *Am.*, 6, 20).

Demosthenes *melius* (faciebat), qui se recondebat (Quint., X, 3).

Titurius concursare cohortesque disponere; haec tamen ipsa (faciebat) *timide* (Caes., *B. G.*, V, 5, 33).

Scite enim Chrysippus (dicebat) ut gladii causā vaginam, sic praeter mundum cetera omnia aliorum causā esse generata (Cic., *De nat. deor.*, 2, 14).

2^o) Universe, certa verba sensu magis generali quibus non est opus ad sententiam intelligendam;⁴ v. g.:

Primum impudentiam hominis vide, qui venerit ad aegram cuius marito inimicissimus fuerat (Pi., *Ep.*, 2, 20).

Athenienses quod honestum non esset id ne utile quidem putaverunt; melius hi (iudicaverunt) quam nos (Cic., *De Off.*, III, 11, 49).

VIII. – Libenter retinent verbum « *sum* » cum temporibus infiniti, quae ex eo et participiis formantur;² v. g.:

Id sese *effecturos* (esse) sperabant (Caes., *De bel. gal.*, I, 33, 4).

Putavit domum suam ornamento urbi futuram (esse) (Cic., *De Sign.*, 54, 121).

¹ « *Pertinere* » omittitur in his: « *Nihil ad me* », « *nihil ad rem* », « *quid ad nos?* » et similibus.

NB. — Similis est sensus formulae: « *Quo mihi hanc rem (paro)? — Item: Quid mihi cum hac re (commune est)?* »

Libenter retinent imperativum « *scito* » vel quid simile, praecedente aut sequente « *si* », « *ne* », « *quod* »; v. g.: *Si ipsum arguis, (scito) Romae non fuit* (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 27). — *Ne totam eius orationem repetendo magnam partem voluminis occupem (scribo): — « Vitam tibi, inquit (SEN., De Clem., I, 9). — Quod te a Scaevola petiisse dicis ut provinciae praeesset, (scito) eum ego Ephesi viđi* (Cic., *Fam.*, III, 5). — *Quare ad ea primum (respondeo), si videtur* (Cic., *De Fin.*, IV, 1, 2).

2^o) Etiam ex participio in « *dus, da, dum* »; v. g.: Non quaeretis quo id nomine *appellantum* (esse) putetis (Cic., *De sign.*, I, 1). — *Quam maturime occurrendum* (esse) putabat (Caes., *De bel. gall.*, I, 33, 4). — Patres decrevere legatos sortesque oraculi *expectandas* (esse) (TIT., LIV., V, 15, 22).

Nullum (militem) *datum* (esse) dicent (Cic., *De Sign.*, 67, 150).

In hoc portu Atheniensium nobilitatis, imperii, gloriae naufragium *factum* (esse) existimatur (Cic., *De Suppl.*, 37, 98).

IX. – Cum modo gerundivo et adiectivo verbali « *est* » tuto negligi potest; v. g.: *Utendum* (est) modicis exercitationibus (Cic., *De Sen.*, 11).

Habenda (est) ratio valetudinis (Cic., *De Sen.*, 11).

X. – Praeterea libenter reticent verbum « *sum* »

1^o) in proverbiis et adagiis;² v. g.: *Summum ius* (est) summa iniuria (Cic., *De Off.*, I, 10).

Ipsa vetus (est) sibimet merces (Silius Italicus).

Omnia praeclara (sunt) rara (Cic., *De Am.*, 21).

Iucundi (sunt) acti labores (Cic., *De Fin.*, IV, 32).

2^o) In brevioribus propositionibus et vividis sententiis,³ v. g.:

Cognitionis autem (sunt) tres modi (Cic., *De or.*, III, 29, 113).

¹ b) In temporibus definitis coniugationis passivae non omititur nisi tercia persona cum « *est* », rarius « *sunt* »; v. g.: *Equis varie bellatum* (est) adeo ut... (TIT., LIV.). — Ex hoc facto illi gloria opesque *inventae* (sunt) (SALL., *gus.*, 70).

c) Praeterea verbum « *sum* » fere suppressum cum participio perfecto vocis passivae post « *oportet*, *volo*, *cupio* »; v. g.: *Signum oblatum* (esse) non *opertuit* (Cic., *Verr.*, II, 4, 17, 37). — *Ilos monitos* (esse) *volo* (Cic., *Cat.*, II, 12, 27). — *Rex id celatum* (esse) *voluerat* (Cic., *De Sign.*, 28, 64). — *Patriam extinctam* (esse) *cupit* (Cic., *De Fin.*, XV, 24, 66).

2^{a)} In proverbiis et alia verba subaudiuntur; v. g.: *Fortuna fortis* (*adiuvat*) (Cic., *De Fin.*, III, 4, 13). — *Sus Minervam* (*docet*) (Cic.). — *Ne sutor supra crepidam* (*aspiciat atque inducit*).

b) Quae elegans verbi omissione plurimum confert ad illam stylī alacritatem quae, omnibus in linguis, proverbiis et adagiis maxime convenit.

³ Inter cunctos latīnae linguae scriptores, Tacitus hanc dicendi rationem ellipticam, concisam et laconicam maxime diligit et frequentat.

Vincere bello, romanum (est) (Tit. Liv., XI, 7, 2).

Sanctorum vita (est) ceteris forma (S. Ambros.).

Suus cuique parens pro magistro (est) (Tac.).

Odiosum sane (est) genus hominum officia exprobrantium (Cic.).

3º In interrogationibus oratoriis et in exclamacionibus; v. g.:

Quid tam dissimile (est) quam ego in dicendo et Antonius? (Cic., *De Or.*, III, 9, 32).

Num igitur horum senectus miserabilis (fuit), qui se agri cultione oblectabant? (Cic., *De Sen.*, 16, 56).

Illa praeclara (sunt), in quibus publicae utilitatis species prae honestate contemnuntur! (Cic., *De Off.*, III, 11, 47).

4º In antithesibus seu oppositionibus brevibus et vividis; v. g.:

Aliud *agendi* tempus (est), aliud *quiescendi* (Cic.).

Similior *victo* (est) *qui vicit* (Florus).

Crudelitas vestra (est) *gloria nostra* (Tertul.).

Primus impetus *maior* quam *virorum* (est), *sequens minor* quam *feminarum* (Florus).

5º In brevibus enumerationibus; v. g.:

Concinnus deinde et elegans Aristoteles (est). Scripta sane et multa et polita (sunt) (Cic., *De Fin.*, V, 5, 13).

6º In vividis et incitatibus descriptionibus; v. g.:

Paratus veniebat Crassus: non multa iactatio corporis (erat), non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra suppeditatio pedis, etc. (Cic., *Brut.*, 43, 158).

7º In quibusdam usu tritis loquendi formulis,¹ v. g.:

Minime mirum (est) (Cic., *De Or.*, IX, 13, 55).

¹ Tunc et alia verba reticentur; v. g.: Di meliora (*dent*). — Hoc nihil ad me (*attinet*). Sed haec hactenus dixi.

XI. — Verbum saepe omittitur post « hinc »,² praesertim in enumerationibus oratoriis; v. g.:

Hinc illae lacrimae (Ter., *Andr.*, I, 1, 99).

Hinc sicae, hinc venena, hinc furta, peculator, expilationes, hinc opum nimiarum potentiae non ferendae (Cic., *De Off.*, II, 8, 36).

Hinc apud Atenienses magnae discordiae, in nostra re publica non solum seditiones, sed etiam pestifera bella civilia (Cic., *De Off.*, I, 25, 86).

XII. — Demum participium quandoque emissum censem:

1º cum quibusdam adverbii;³ v. g.:

Omnis (viventes) *tum* populi.

Illae (reportatae) *ibi* victoriae.

Vastis *circum* (iacentibus) saltibus cladebantur (Tac.).

2º cum substantivis quae, omissis participio,

a) aut nihil mutantur;⁴ v. g.:

Nullus ei ludus videtur esse iucundior quam crux, quam caedes, quam (facta) ante oculos trucidatio civium (Cic., *Phil.*, IV, 5, 11).

b) aut genitivum casum assumunt vel etiam in adiectiva migrant;⁵ v. g.:

Existimabas te *avaritiae* (= ab avaritia illata) vulnera crudelitatis remedii posse sanare (Cic.).

² Etiam post « inde »; v. g.: *Inde irae*.

³ Rectius dicitur adverbia tunc adiective sumi; v. g.: Omibus *deinceps* diebus exercitum in aciem produxit (CAES.). — Omnes *undique* parricidae Catilinae proximi familiares erant (SALL.).

⁴ Etiam propositio relativa dici potest sic subauditam; v. g.: Si tua sint (quae sunt) *Puteolis* granaria (Cic., *De Fin.*, II, 26, 84).

⁵ a) Tunc etiam propositio relativa dici potest subauditam seu potius in aliud conversa; v. g.: *Avaritiae* vulnera (= quae ab avaritia inferuntur).

b) Huiusmodi genitivus habet sensum obiectivum aut subjectivum (cf. ALMA ROMA: *Quo casu quaedam substantiva eleganter efferantur*, VI). Item adiectivum.

Victoria *belli civilis* (= in bello civili relata) (Cic.).

Neque *honoris* neque *actatis* (= ex honore, aetate sumpta) excusatio vindicat a labore (Cic.).

Pavor ceperat milites ne mortiferum esset vulnus *Scipionis* (= Scipioni illatum) (Tit. Liv.).

Institutus est liberaliter educatione et doctrina *puerili* (= pueris data) (Cic.).

Metus *hostilis* (= ab hostibus innectus) in bonis artibus civitatem retinebat (Sall.).

Multi et varii timores erant: inter ceteros eminebat terror *servilis* (= a servis innectus) (Tit. Liv.).

S. Leonardi in *Helvetia*.

(Ad proximum numerum).

I. Jss.

Quae florebat eo in loco civitas tertio post Christum saeculo ab incolis omnibus extem-
po deserta est. Eius autem domus, mirum
sane, nemo est depopulatus, ita plane ut
obducta ventis paullatim arena deserti eas
intactas obruerit, vetustaque humanitatis,
linteo veluti suo, vestigia ad nos usque in-
tegra servaverit. Ingens inde papyrorum
thesaurus eius per ruinas oppidi repertus
est. Sed et alibi, ubicumque veterum Aegy-
ptiorum innotuere ruinae, recondita papy-
rorum messis habebatur. Quum autem ve-
teribus ruinis superexstructae domus fuere,
haud parvi pretii fuit eas deinde emere ad
diruendum. Quamquam regulus ille Mehe-
met Ali, paucis abhinc decenniis, edito de-
creto oppida saepe ex integro, paucis obo-
lis singulas domus emens, solo aequavit.

Nec tamen gravi forte pretio Meuscie
regionis agricolae agros suos omnes, cu-
curbitarum cultui traditos, locare effosso-
ribus consensit ad papyrorum inquisitio-
nen per Ptolemaidis ruinas, quas suo illi
cultu obruerant.

Ditissimi vero papyrorum acervi iis in
collibus sive tumulis abdebanduntur — et for-
tasse etiam nunc abduntur, — quos Aegy-
ptias prope urbes videre est, ac *scebach*
nomine incolae hodie vocant. Qui saepe
colles magnam nonnunquam altitudinem
attingunt. Suorum enim omnium domuum
immunditias unum in locum Aegyptii de-
ponere ita assueverunt, ut, decurrentibus
annis, ad multam saepe congeriem cumuli
excreverint. Itaque Medinet-El-Fajum ad
oppidum viginti passuum ad altitudinem
collis huiusmodi extollebatur; Cairo vero
ad urbem septuaginta. Nam quo magis fre-
quens erat in urbe civium multitudo, eo
citius altiusque immundus acervus auge-
batur. Immundis vero hisce ex fodinis Ae-
gyptiae antiquitatis mirae reliquiae edu-
ctae sunt, quae Berolinensia modo et Vin-
dobonensia et Genevensia musea comple-
tent.

Sed tantum superiore saeculo inita res
est, quum saccari frutices colli per Aegy-

DE PAPYRIS

Opimis maxime e thesauris, quibus anti-
quitatis doctrina ditatur, principem locum
certum est Aegyptios obtinere papyros;
idque tum rebus, quas continent, tum anti-
quitate sua. Verumtamen eorum inquisitio
admodum impervia plerumque maximis-
que ducenda cautelis. Nimis enim peri-
culosum est eos ab Aegyptiis incolis quaer-
rere, qui plerumque falsos effingunt, et
mentita voce ut vetustissimos venundant.
Nonnunquam autem, ut de veteribus num-
mis fieri saepe apud nostros audimus, ita
ibi de papyris, quos nuperrime sua manu
effictos et conscriptos ad tempus, veterum
urbium revera effodiantur, ut contigit,
exempli gratia, Dimeh in oppido, Meri-
dis lacus ad septentrionale litus positio.

Quamobrem viri antiquitatis studiosi
Aegyptias terras qui lustrant haud multam
fidem tribuendam papyris huiusmodi do-
cent, plerique licet inter ruinas veterum
urbium revera effodiantur, ut contigit,
exempli gratia, Dimeh in oppido, Meri-
dis lacus ad septentrionale litus positio.

ptios agros coeperunt; tum eos per colles optimum sibi sumum paratum agricolae ad eos effodiendos ligones admoverunt. Cultu igitur saccarino sacrae antiquitatis investigationes necopinato aluntur: papyri eos per cumulos inventi certam empti sunt. Interdum vero mala lucri cupiditate et in fragmenta discessi, ut pluribus emptoribus satisficeret. Ita foederis cuiusdam nuptialis charta tripartita nunc nobis tria per loca Oxfordii, Genevae Monachique prostat.

Hisce periculis ut occurrent, ipsi antiquitatum cultores sibi modo ausum assumpsere atque ad eos colles effodiendos ipsi operarios conduxere; ut Grenfellius atque Kunt Angli, ut Wilcken, Germanus, alter per alti Aegypti loca, hic Esnae ad urbem fecere. Wilcken tamen navis Amburgum prope portum igne adusta, doctissimi viri fere vanos labores diuturnos reddidit.

Sed et per vetusta sepulcra papyri facile inveniuntur; mos enim erat Aegyptiis propinquos suos una cum carissimis supellectilibus sepelire.

Itaque Timothaei Milesii poëtae hymnus de victoria ad Salaminam, Abusirum ad oppidum, Ghisè prope pyramides repertus est. Qui quidem maximi momenti papyrus habetur, quem Graecorum poëseos, post Pyndarum atque Bacchilidem, quae fuerit indeoles nos docuerit.

Alii autem papyri, numero etiam ingentes, habentur ex cadaverum illis involucris sive thecis, quae in humani corporis figuram ex spissiori charta Aegyptii effingebant. Charta enim illa multis saepe veteribus foliis in unum compressis formata est. Quare anno MDCCXC Hinday Petrie, Germanus doctor, multos ex iis involucris emit, Berolinumque misit, ubi magna cum patientia disiectis singulis foliolis, multa apparuerunt vestigia veterum scriptorum insignia, *Antiopis* Euripideae paginae adhuc ignotae, atque *Fedonis* dialogi fragmenta, satis Platonii proxima. Ita factum est, ut

anno MCM Grenfellius atque Huntius, quos iam laudavimus, Fajum in regione meridiana per necropolim effossiones duxerint, multaque ibi chartacea feretra invenerint, ex quibus vetustissima documenta eruere, ad aetatem praesertim Ptolemaei Εὐεργύτου pertinentia, cui Phiscon cognomen fuit. Quanti igitur sint habendi papyri in antiquitatis studiis provehendis, post hactenus dicta, nemo est qui non apte existimet.

X,

AD PHILIPPUM NERIUM ROMANORUM APOSTOLUM

*Quod iuvit calathis aliuisse rosaria plenis
Romana terra florea dona Tibi;
Quod cinerive tuo redimitum gestimus aurum
Non sine gemmarum iubare purpureo;
Id docuit pietas maiorum tradita votis
Et quam non animo eximet ulla dies.
Sed tu quaeve manent fastus vestigia nostri
Sic adulere sinas sic vaporare focis,
Ardent ut cerei, rutilant lychnique, tholumque
Spiris condescendunt thura volubilibus
Ad Te pallentem, quem caeli munera complent,
Virginei et risus gaudia mira beant.
Splendeat alta tamen, Romae dum fata super-*

[sint,

*Lux haec natalis flamine sacra tuo.
Hymni nec animo, queis te, suavissime Patrum,
Dulci laetitia iam celebrasse fuit,
Extenuati abeant, tua dum delubra reposcit
Vulnere nec mortis hinc removendus amor.
Nam quae oriente die, quae tu recedente ca-*

[nebas

*Saeclorum regi carmina Davidico,
Visa fuit pueris caelo resonare camoena,
Nostris sed tamen psallere docta modis.
At nos lusit amor: nectunt nam carmina solis
Non ortum terris occiduumve melos.*

VII. Kal Ian. MDCCCCXXXII.

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE STRUCTURA UNIVERSI.

Alias necessitatem affirmavi admittendi in spatio physico, quo universus constituitur, inertiam materialem adesse: simul innuendo, in assignanda lege structurae universi, hanc ipsam primigeniam, universalis materiam in considerationem inducendam esse.

Videtur nempe universus nullibi assundus ut vacuus a materia, sed repletus, vel potius constitutus per hanc materiam primigeniam; corpora vero, ex materia ponderabili, distributa definite per spatium.

Haec autem materia «spatialis», quae spatium-aether dici potest, eo quod simul proprietates spatii et aetheris possidet, quamvis vi attractiva careat, nequit tamen privari quadam certa tensione ex ipsa inertia procedente.

Quae proinde in «equationibus gravitationalibus» ab Einstein ut tensio inducitur, non admittenda est tantum in spatio materia ponderabili repleto, sed in toto spatio physico universi, ubicunque nempe energia transire potest aut de facto transit.

Itaque quod Einstein per introductionem termini constantis cosmologici obtinet, rationalibus videtur per hanc spatii-aetheris tensionem suppleri.

Quaestio esse potest utrum ipsum λ einsteinianum assumendum sit ut explicitatio talis pressionis, an per aliam formam introducendum sit in aequationes.

I. GIANFRANCESCHI.

NOTITIAE.

DE ATHOMORUM SPECIERUM NUMERO.

Iuxta rationem ab Eddington propositam numerus centum triginta et septem, de quo saepe nunc loquuntur physici, reprezentat numerum graduum libertatis in sisteme duorum corporum electricitate praeditorum.

Si, ut Prof. Narliker ex urbe Cambridge cogitat, numerus iste respondeat numero qui recenset functiones nulli subjectas in ratione ondulatoria, maximus numerus electronum in athomo deberet esse ipse numerus centum triginta et septem. Et sic possent dari centum triginta et septem species athomorum.

Nunc autem ipse Auctor ex eadem ratione deducit ex illis centum triginta et septem liberis functionibus nonnisi nonaginta duas respondere proprietati non variabili.

Hinc concludit nonaginta et duorum esse maximum numerum athomicum, et sic non daretur aliud corpus supra uranium, cuius numerus praecise est nonaginta duorum.

DE SUBSTANTIIS

IN METHEORITIS EXISTENTIBUS.

Ex inquisitione a G. P. Merrill ducta, supra multiplicita exemplaria metheoritarum, defunctus Auctor enumerat elementa quae communia sunt cum corporibus terrestribus.

Haec sunt Al. Ca. C. Fe. Mg. Ni. O. P. Si. S. Minus frequentia Cl. Cr. Cd. Cu. H. Ir. K. Li. Mn. Na. Pa. Pt. Ru. Ti. Va.

Forte exstant etiam A. et He., sed dubia est presentia pro As. Au. Pb. Sb. Sn. Sr. Zn.

Inveniuntur metalla cognita etiam apud nos, ut olivina, piroxenite, feldspatum, apatites, magnetites, cromites, quartum, troilites, pyrolithes.

Minus frequentia: breunnerites, carbonum graphitem et diamantem includens.

Adsunt autem et metallorum mixturae, quae non inveniuntur in terra, ut schreibersites, draubreelites, laurencites, osbornites, merrilites, cohenites, maissanites, maskelynites, osmanites.

DE ANTIQUITATE TERRAE.

Quae in Huronum regione uraninites reperta est, prope Winnipeg flumen, videtur antiquissima inter omnes alias huc usque cognitas.

Ex analysi, ab H. V. Ellsworth instituta, ratio inter plumbum et uranium in ipsa contenta pertingit ad 0,26.

Aetas metalli, quae hinc deducere est, excedit duo millia milionum annorum.

DE ACTIONE QUORUNDAM METALLORUM IN VEGETATIONEM.

O. Bottini per experimenta inquisivit in actionem a leucite habitam in humis salsis.

Clorurus nadii agit solutus in leucitem, separando kalium et calcium; et relinquentio nadium.

Intensitas actionis pendet, ut patet, a concentratione salis et a duratione contactus. Kalium, sic a composito resolutum, absorbetur ab humo, iuxta rationem virtutis chymicae.

Hinc apparet leucitem vere prodesse tum ad concimationem tum ad correctiōnem humi salsi.

Circa actionem bori in vegetationem A. Fabbri, ex experimentis a se peractis, infert eam utilem evadere posse vel neutrā, vel etiam damnosam, iuxta rationem quantitatis.

DE SUPPLENDA RESPIRATIONE PER OXIGENIUM IN ASCENSIONE ALTIORUM MONTIUM.

Recens agitata est quaestio utrum sit efficax supplere deflectionem pressionis aëris, exempli gratia in ascendendo altiores montes, per respirationem oxigenii.

Videtur enim hoc nihil profuisse iis qui montem Everest ascendere conabantur.

Opportune dr. Margaria, ex Instituto Physiologiae in athenaeo Taurinensi, contendit dubium non adesse de sufficientia oxigenium inspirandi, sed quaestionem potius agitandam esse de modo quo inducatur.

Nam si oxigenium servandum est in tibiis metallicis, et respirandum per cannulam inter labia retentam, labor, qui, ad hoc requiritur, prohibet ne respiratio efficax evadat.

Auctor proinde ipse doctor est, ut oxigenium respirandum trahatur ex decompositiōne alicuius peroxydi; exempli gratia sodii peroxydi.

Pondus quod facile ferri possit, sufficiētē oxigenii quantitatē supplere Margaria demonstrat.

DE PROPRIIS OPTIMARUM ARTIUM VOCABULIS.

Diebus decimaoctava et decimanona sup. mensis martii, ab «Instituto Internationali Cooperationis Intellectualis» invitati, Parisiis convenerunt viri experti ut propria optimarum artium vocabula coordinanda susciperent.

In hoc primo conventu in eandem sententiam de hisce ventum est:

a) Instituendum esse centrum ad documenta colligenda, quae propriam singulis vocem constituendam respiciant.

b) Coetus eruditorum ex omnibus gentibus creandos, qui ea omnia quae ad rem faciant cum centro communicent.

c) Parata haec ab instituto centrali examini subiecenda et propositiones ad usum redigendas pro futuro conventu.

d) Redactionem lexicorum pro disciplinis singulis promovendam, quae ad universale lexicon perducant.

e) Usum systematis metrī decimalis in universum vulgandum.

HORAE SUBSECIVAE

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

IACOBUS TASSET ANDREAE AVENARIO et EMANUELI JOVÉ salutem dico.

Et matutina suscitabula, quae Turnoduri veneunt, in Germania aut in Iaponia facta, demonstrant artes gentibus universis esse plerasque communes; quo sit haec utilior per litteras, aut igneas voces, colloquendi palaestra.

Ceterum Britanni, telum novum hoste proderent, quod ad oppugnandam Germanorum aciem mittebant, «piscinas» vecturarum litteris, quae re vera *currus* essent, descriptsere. Qui, nova figura licet internoque citi ardore, non aliis nominis ac veteres currus indigent. Navis enim qua nunc Saturnus, serendae gentis causa, vetere continente novis demessa falcibus, in Americam advehitur, quum vocalis igne viribus agatur internis, vehiculorum sublimium capax, evolandi sidendique pontibus, et ad cuniculos emitendos instructa tubis, non ideo tamen alio vocabulo dicitur atque illa, qua tunc ipse Tiberim, regnante Iano, introivit.

Immo vero latine quum meditamus, non oportet nos artis daedaleae res fluxas — quarum nec est scientia — infinitis linguarum mortalium erroribus sequi, sed communes insitas in animo notiones, aeternasque virtutis species mente fas est contemplari, ut ex nostris orationibus ratio redoleat, veritas et vita. Nam si decet hominem *erectos ad sidera tollere vultus*, solem, Hipparchi aetate, in Ariete verno aequinoctio videmus, nunc in Piscibus oriri: quo regressu magnus anfractus, vingtini sex fere millibus annorum, totum vertit caelum. Itaque nos *vertentis*, qui dicitur, illius anni post Ciceronem vix uno mense nati, veteranum sumus aequales eisdemque legibus orationis adstricti. Qua-

Ad amicum.

Inter tot voces, quae laudibus aethera complent,

Teque etiam vivum sidera ad usque ferunt,

Nonne audis aliam vocem, quae, corda pene-

[trans,

Te laudes istas non adamare monet?

Namque virum sane dum laus dulcedine mul-

[cet

Virtutes memorans mendaque parva tacens,

Efficit ut parta contentus sorte pigrescat,

Deperdat vires, nec meliora petat.

Quare nonnunquam melius quam dulcis ami-

[cus

De nobis meritus forte inimicus erit,

Qui vita obiurgans, quamquam livore reple-

[tus,

Est auctor nobis ut medeamur eis.

Haec volui memorare tibi, quem semper amabo,

Ut laudem accipias, virus at effugias.

Accipias laudem, solamen dulce laborum,

Et stimulum ut valeas optima quaeque se-

[qui.

Senis.

MANFRIDUS TARCHI.

**

Ad puerum dormientem.

In placidum somnum pueri solvuntur ocelli;

Tranquillus reficit membra tenella sopor.

Et puerum leni decet indulgere quieti,

Et pueri lusus multa laboris habent.

Dormi, care puer, tibi candida somnia men-

[tem

Exhilarent, umbras nocte ferente suas.

Mane novo nutrix aderit tibi proxima cunis,

Atque tuis labris basia raptā dabit.

Excutiens somnum pandens roseumque label-

[lum,

Illi tu ridens basia plura dato.

I. SCOPA.

propter diurnus et constans usus, praecoptore Iulio Caesare, «tamquam scopulum vitat novum et insolens verbum». Valete.

D. octavo mens. Aprilis, Turnoduro Senonum.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F. ANDREAE AVENARIO, S. V. D. s. p. d.

Tu vero litteras quum volueris, nescio qua facilitate et iucunditate compleas. Stylographum solvis, et fluit linimentum super cartam continentis filo, donec ex voluntate capulo iterum pennam obtegis. Quid interest te pluribus esse distentum occupationibus? Hanc non minimam reputas. quae amicis satisfaciendi consulti; vel si fauibus Scyllae comprimarisi, tu tuis non deeris, neque *Almae Romae* lectoribus, qui amoena scripturae varietate summopere delectantur. Quod ad me attinet, quid unquam Fornario, dignissimo atque humanissimo viro, denegem, cui adeo sum devinctus et benevolentia et beneficentia?

Nunc, his dictis, iterum ad *suscitabulum*. Laetor tibi placere nomen quum fortassis tinnitus eius dispiceat, et quia stridulus et quia non semel etiam importunus. Vos, Germani homines, qui conglutinatis non solum syllabis sed etiam vocabulis species mentis complexas exprimere soletis, non facile adquiescitis nobis, Latinae suboli, qui a matre Latina rei nota quadam praecipua rem declarare totam didicimus et ex usuali nominis adapplicatione totam rem comprehendere. *Expergificum horologium* est optima suscitabuli definitio cum genere et «differentia specifica», ut loquuntur philosophi. Si quaerat discipulus tuus, quum ad aures eius primum veniat «suscitabulum»: Quid est «suscitabulum», praceptor? Nonne respondeas: Horologium expergicum?

Te equidem sequor in itineribus antarcticis, quae lingua Latina primum de-

cussare non hercle minus pectoris postulat quam terras illas glaciatas canibus et manulis comperire. Credo autem parum audiendae te, quum «crustam niveam gelu adstrictam» times uno vocabulo nominare; velim te etiam montes istos superare docere. *Glacier*, nos *glaciar* vocamus hispana gens, quod nomen sicut infinita alia a Latino fonte repetivimus. — Unde? — quaeris. — Ex adiectivo *glacialis*, in quo euphonica ratione mutavimus *l* ia *r* propter antecedentis *l* proximitatem, ut sit communiter apud Latinos. Sic adiectiva quae in *alis* regulariter finiuntur: *mortalis*, *navalis*, *venalis*, *regalis*, desinunt in *aris*, si precedeat *l*: *auxiliaris*, *consularis*, *lunarialis*, *militaris*. — Cur — inquis — id non factum est in *glacialis* iam in lingua Latina? — Quia ex una parte neque adiectivum nimis erat in usu, et ex alia eius *l* non sonat plene, sed liquide, atque ideo parum obest *l* finali in pronuntiatione. Scis etiam ex laudatis adiectivis facile substantiva derivare, ut *tibiale*, *cubital*, *exemplar*, ex adiectivis *tibialis*, *cubitalis*, *exemplaris*. Quae quidem substantiva quidquam innuunt ad *tibiam*, *cubitum*, *exemplum* maxime pertinens. Numquid est quod ad *glaciem* maxime pertineat, quam crusta illa nivea gelu adstricta? Haec ideo *glaciar*, *aris* latine etiam adpellabo. Crede mihi, si vocabulum hoc excipias, quasi aërivola (navi) montes istos melius exploraveris.

Sed tu id non quaerebas.

Quod Fornarius exposuit olim in *Alma Roma de Tank*, id ego accipio, quamvis mihi quidquam in mentem venit, quod alio die fortassis tibi aperiam. Cogita tu interim de *essedo*.

Loquacitati meae parces et valebis.

Cervaria, XII Kal Maias.

Odia qui nimium timet, regnare nescit.
Violenta nemo imperia continuit diu; moderata durant.

SENECA.

COLLOQUIA LATINA

VIII.

Refectio scholastica.¹

NORBERTUS, PETRUS, MAGISTER, VICARIUS, LAURENTIUS, FLORUS, HANNIBAL, PUERI.

NORBERTUS. — Vivitisne hic laute?

PETRUS. — Quid istuc verbi est? An lavamur? Quotidie manus ac faciem, et quidem crebro; mundities enim corporis et sanitati et ingenio confert.

NORB. — Non id quaero; sed an edatis et bibatis ex animi vestri sententia?

PETR. — Nos non edimus ex animi sententia, sed ex palati sententia.

NORB. — Dico, an ut vultis?

PETR. — Maxime; nempe cum fame: et qui vult, edit; et qui non vult, abstinet.

NORB. — Surgitis a mensa famelici?

PETR. — Non omnino saturi: nec expedit; belluarum enim est expleri, non hominum. Regem quemdam sapientissimum narrant, nunquam sine appetitu accubuisse, nunquam surrexisse saturum.

NORB. — Quid editis?

PETR. — Quae habemus.

NORB. — Putabam vos esse quae non habebatis! Sed quae sunt ista tandem quae habetis?

PETR. — Molestum percunctatorem! Quae dantur.

NORB. — At quaenam dantur?

PETR. — Ientamus de mane sesqui hora poste aquam surreximus.

NORB. — Quando surgitis?

PETR. — Fere cum sole, qui est dux Musarum, et aurora gratissima Musis. Silatum nostrum est frustum panis autopiri, et paullulum butyri, aut fructuum aliiquid, quales anni tempus suppeditat.

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

NORB. — Non igitur arabicam potionem sorbetis?

PETR. — Coffea nervis inimica.

NORB. — Ecque ad prandium vobis apparantur?

PETR. — Olus coctivum, vel pultes in pultriis, rapae modo, modo brassicae, similago, oryza; aliiquid carnium et fructuum. Tum, diebus pisculentis, lac sero sum in gabatis, e quo sit butyrum expressum, infectis aliquot turundis panis: piscis recens aliquis, si sit in foro piscario pretii tolerabilis; sin secus, salsa mentum probe maceratum; hinc pisa, aut cicera, aut lentes, aut fabae.

NORB. — Quantum cuique ex his?

PETR. — Panis, quantum avemus: obscuriorum quantum est satis, non ad explanandum, sed ad alendum.

NORB. — Quid bibitis?

PETR. — Alii frigidam aquam et liquidam, alii cerevisiam tenuem, pauci et raro vinum, idque plerumque dilutum. Est praeterea merenda, vel, si id mavis, antecoenium aliiquid panis et amigdalarum, seu avellanarum, ficorum aridorum, uvarum passarum, aut, si sit aestas, pyrorum, aut malorum, aut cerasorum, aut prunorum. Quum vero animi gratia rus proficisciatur, tum praebet lac vel liquidum vel coactum, caseum recentem, cremorem, pampinos, et alia, quae villa suggerit. Coenae denique caput est acetarium concisum, sale aspersum, irroratum oleo olivarum ex gutto, aceto etiam infuso. Tum in lata paropside aulicocta bubulina, aut vitulina, aut vervecina cum prunis passis, aut radiculis, aut herbulis, quae sint pro intrito. Interdum tucketum saporis scitissimi et aliiquid assi. Pro secunda mensa, raphani perpusillum et casei non putris nec veteris, sed recentis, qui est, quam vetus, albilior; pyra, mala persica, cydonia. Diebus vero queis carne fas non est vesci, habemus pro carnis ova assa, aut frixa, aut elixa, singula per se, aut in libum

commixta; paulum interdum piscium; et caseo succedunt nuces.

NORB. - Quantum cuique?

PETR. - Bina ova singulis et quaternae nuces.

NORB. - A coena nunquam ne comissamini?

PETR. - Utrum censes nos porcos esse an homines? Qui ventriculi, quae valetudo sufficeret post quaternas refectiones commissari? Heus tu, schola haec est, non saginarium!...

NORB. - Licebitne coenae vestrae interesse?

PETR. - Facile, modo venia petita a Magistro, quam scio illum daturum non gravate: nam solet; alioquin pravae esset educationis ingerere te convivio, Magistro inscio; et qui te adduceret, nihil aliud quam probrum et pudorem contraheret apud condiscipulos. Mane paullisper. - Magister, licebit ne cum bona tua venia puerum quemdam, mihi notum, adhibere nostrae coenae?

MAGISTER. - Maxime; non erit molestus.

PETR. - Habeo gratiam.

VICARIUS. - Quota est hora, Laurenti?

LAURENTIUS. - Horam non audivi a tercia, intentus compositioni epistolae. Florus melius id norit, qui, toto hoc pomeridiano tempore, librum non vidit, neque chartam.

FLORUS. - Qui potuisti tu id animadverte immersus, ut ais, compositioni epistolari? Plane malevolentia te coagit mentiri. Gaudeo profecto inimicum meum pro mendaci habere. Si quid posthac volueris calumniari, carebit fide.

VIC. - Non potero aliunde cognoscere de hora? Hannibal, inspice de fenestra horologium turris campanariae.

HANNIBAL. - Index signat iam sextam horam.

VIC. - Sextam vero? Eia, pueri, agite; eia, consurgite et abicite libros. Famuli, parate mensas, insternite, apponite sedilia, mantilia, orbes, quadras, panem. Dicto Nervio.

citius omnia perficite, ne tarditati Magister succenseat. Prome tu pro eo cerevisiam; tu hauri aquam; appone scyphos... Quid isthuc rei est? Tam obnubilatos adfers? Refer in culinam, ut famula eos fricet et extergat probe, quo sint nitidi et fulgentes.

HANN. - Nunquam tu hoc perfeceris, quamdiu simiam hanc habebimus ministram culinariam. Nunquam audet fortiter conficare res quae mundat; ita timet suis digitis; nec abluit, nisi semel et tenuide. Quin admones de ea Magistrum?

VIC. - Satus est queri apud famulum atriensem; nam in eius manu est mutare famulas culinarias. Sed ecum Magistrum. Tu ipse perluito hos calices...

MAG. - Sunt parata omnia? Est aliquid quod nos remoretur?

VIC. - Nihil omnino.

MAG. - Ne postea facturi simus intervalla inter missus. - Adsideamus; tempus est. Sed antea, pueri, abluite omnes manus et os. Vah! quod mantile! Qui hic se extergunt? Ubi mundantur? Curre, adfer aliud purius... Is, Petre, est puer, quem convivam nostrum hodie mihi proposuisti?

PETR. - Est, Magister.

MAG. - Cuias est?

PETR. - Romanus.

MAG. - Recipe illum supra te. - Expediat quisque cultellum suum et purget suum panem, si quid haeret vel cineris, vel carbonum in crusta. Sacret mensam, cuius est munus hac hebdomada.

FLOR. - *Pasce animos nostros, Christe, caritate tua, qui tua benignitate alis vitas omnium animantium. Sancta sint, Domine, haec tua munera nobis sumentibus, ut tu, qui ea largiris, sanctus es. Amen.*

MAG. - Sedete, quantum licet, laxe, ne comprimatis mutuo, quandoquidem satis est loci. - Et tu, puer, ubi fecisti latinæ linguae tyrocinium?

NORB. - Romae, sub Ioanne Theodoro Nervio.

MAG. - Viro diligenti, docto et probo. Quam pridem Roma venisti?

NORB. - Nudius sextus.

MAG. - Quam nuper coepisti studere?

NORB. - Abhinc annos tres.

MAG. - Non potest te profecto poenitere. NORB. - Merito; nam et habui magistrum non poenitendum.

MAG. - Sed quid agit Nervius noster?

NORB. - Dicunt eum agere athletam; non tamen athletice.

MAG. - Quid istud rei est?

NORB. - Quia luctatur semper, sed parum fortiter.

MAG. - Cum quo?

NORB. - Cum suo morbo articulare.

MAG. - O luctatorem dolosum, qui primum omnium invadit pedes!

NORB. - Immo lictor crudelis, qui totum corpus constringit!

MAG. - Tu interim quid agis? Quid cessas? Videris hoc spectatum venisse, non coenatum. Et vos, pueri, cur non tractatis hospitem comiter?

LAUR. - Amice, praebibo tibi!

NORB. - Excipio animo libertissimo; atque vicissim propino tibi, Magister, tuisque alumnis omnibus!

OMNES. - Bene!

MAG. - Sed esculenta haec iam conglariant. Adserte foculum mensarium: excalefacite aliquantum, priusquam panem intingatis... Raphanus hic non est esui, adeo est lentus; nec minus hae radiculae iussulentae.

HANN. - Lamia nostra, ni fallor, nimis hic indidit piperis et gingiberis, et in iure hoc et toto acetario nimium menthae, petroselini, salviae, erucae, nasturtii et similium.

MAG. - Profecto nihil puerorum et adolescentium corporibus aequo damnosum, ut cibi qui interiora fervefaciunt.

VIC. - Quibus igitur ex herbis velles confici?

MAG. - Lactucis, buglossa hortensi, portulaca... Heus tu, Emmanuel, ne extergas

labra manu, aut manica, sed mappa; nam ideo tibi datur. Laurenti, carnes ne attinges, nisi ab ea parte, qua tibi es sumpturus... Tu, Hannibal, non animadvertis te manicas tuas inficere pingui carnium? Corruga eas, vel complica ad cubitum: quae si relabantur, affige acicula... Tu, Atili, dominaster delicatule, in mensam incumbis? Ubi id didicisti? Heus, subiicie eius cubito pulvillum!... Famule, vide ne anallecta haec pereant; reconde in promptuarium. Deinde tolle primum omnium salinum, hinc panem, tum lances, discos, mantelium, postremo mappas. Mundet quisque suum coltellum... Heus tu, Gregori, ne scalpas dentes scalpellum; nam est noxiun: conficito tibi dentiscalpium anserina pennula, vel hoc bacillo tenui, acuminato, et scalpe modice, ne gengivas scarnifices, et sanguinem elicias. - Consurgite omnes, et abluite manus. Flore, gratiarum actionem recita.

FLOR. - *Pro cibo temporario gratias agimus, Christe Domine, temporarias; fac ut pro immortalitate agamus aeternam. Amen.* - Prosit!

OMNES. - Et tibi!

VIC. - Amoveatur mensa, et ministra pavimentum scopis verrat.

MAG. - Vos autem, pueri, ite lusum, et confabulatum et deambulatum, quo libuerit, dum licet per lucem.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive pracepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 461. - Ubi fauces aegrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, dejectiones inspice. Si similes sanis, tutum est corpus alere. Ita HIPPOCRATES. Item alibi ait: Im-

¹ Cfr. fasc. sup.

petigines et leprae, et vitiliges, quibus quidem pueris, aut iuvenibus quidpiam horum fuerit, aut paulatim conspectum in multo tempore augescit, his non putare oportet tale *έξαρθνα*, id est talem eruptio- nem esse *abscessum* (*graecis ἀπόστασις*) sed morbum. Quibus vero horum quid factum fuerit multum et drepente, hoc sane fuerit abscessus.

§ 462. – Affectiones cutis triplicis generis esse ait BALLONIUS; vel *abscessum*, vel *morbum*, vel denique *tertium quid*. Ubi scilicet illaesis parvisque partibus internis, pars sola externa afficitur, inque seipsa materiam morbi excoquit.

§ 463. – Pulsus intercalaris senioribus frequens est, uti et inaequalis. Haec inaequalitas et intermissio saepe est a plenitudine. Eadem inaequalitas in pueris dormientibus, et iis, quibus pulmonum leves arteriolae obstructae sunt, saepe observata est, et tamen periculum abfuit.

§ 464. – Vedit BALLONIUS mulierem gravidam in dentium dolore gravi, cineres calidos, donec stigma notaque inureretur, temporibus adspersisse; hinc dolores cessarunt. Observat hic STOLL: Visicans ad tempora commodius foret.

§ 465. – HIPPOCRATES (Sest. 6. lib. 6 *Epid.*) ait: « Quibus sanguis multus ex naribus fluit, si decoloratio mera sit, id non prodest, rubicundis prodest.

§ 466. – Dum quis cum scabioso concubit, et cutis inficitur, malum hoc vere cutaneum est et superficiaria curatio esse debet. Sed quum ab imo corpore erumpunt tubercula, aut aliquid consumile, mali contagionem subesse in partibus internis fit verisimile.

§ 467. – Maior est pars et pleuritidum et dolorum capitum, tum a congestione cuiusdam excrementi in pulmonem et thoracem, tum ob recursum tenuioris humoris per orgasmum a ventre inferiore, quam a capite et partibus superioribus; quod diligenter videndum, quoniam plerique non

audent purgare et solvere ventrem: at saepe haec plus confert, quam phlebotomia: imo tunc sectionis venae locus non est, nisi forte semel id fiat. Ita BALLONIUS. Talem autem pleuritidem hyeme grassari, ait idem auctor.

§ 468. – Quum dolores vagabunde tenent nostras costas, et continuatione membranarum attingunt aliquando mammas et partes sterni anteriores, caute videre oportet, an propter ventris inferioris cacochynam, a qua propter vapores elatos dolores surgunt, sensio adsit doloris, an causa ipsa a partibus superioribus pendeat, an vero in thorace ipso sit.

§ 469. – Sanguinem cum crusta phlogistica veteres dixerunt sanguinem *biliosum*, *pituitosum* (STOLL).

§ 470. – Sedulo examinandae sunt causae procatarcticae in morbis. Sic etiam HIPPOCRATES meminit crapulae, aprications in sole, potus vini meracioris, laborum, lassitudinis, et diaeta *τῶν ὁξεών*, etc.

§ 471. – Horror fere semper prodromus est pleuritidis.

§ 472. – Victus ratio, ut homo minime pinguescat, esse debet, quam praescribit HIPPOCRATES, quum suasi, ut talis *maza* et *lucta* uteretur, id est, ut laboraret plurimum, et cibis minime satiaretur.

§ 473. – HIPPOCRATES ait autumno *rigere splenes*, duo intelligens vel *tumorem* et *efflorescentiam* splenis (dicit enim *σπληναθαλεῖν*), vel dolorem hypochondrii sinistri. Tempore hoc aestivo admodum incostante multis sacri ignes, et in faciem herpetes, in tibias, in inguina de repente humores tenues, non tam quantitate, quam qualitate molesti multis erupserunt.

§ 474. – HIPPOCRATES ait: « Salsae gustui carnes, superfluae materiae signum ». Id est, si salsedinius gustus sit in ore, materiae superfluae et excretionem molientis est argumentum.

§ 475. – Lingua redundantis cuiusdam in corpore humoris indicium dat. HIPPO-

CRATES ait: « Lingua lotium indicat ». Linguae observatio in febribus multum valet.

§ 476. – Lingua humore quadam praeternaturali obducta, purgationem, evacuationemque postulat. Id HIPPOCRATES significavit, dum ait: « Linguae *virides*, biliosae, materiam redundantem significant. *Aridae* a fuliginosa exustione. Lentor circa dentes fortes febres significat.

§ 477. – Febres sunt *venosae*, aliae *gastricae*.

§ 478. – In haemicrania saepius redeunte una cum catarrho in fauce vel et pulmone, copiosa saliva in os recurrente; item in fluxione ad oculos, quae subinde aegrotum affixit loco haemicraniae, praecipue, si nimiae curae, vigiliae, etc., praecesserint, suasi syrupum de cichoreo cum rheo, abstinentiam a purgantibus, pilulas stomachicas, non tam ventriculi repurgandi, quam eius confirmandi gratia. Conferent pilulae ex aloë initio pastus, nisi haemorrhoidum fluxui sis obnoxius.

§ 479. – Primus nostra memoria FERNELIUS animadvertisit (ait BALLONIUS) saepenumero cruciatus observari, qui quadam similitudine et vehementia colici nuncupantur, quibus tamen non in colo intestino sedes est, sed vel in peritonaeo, vel in membranis, quae abdomini, ventrisque partibus obtenduntur. Non clysteribus, non medicamentis leniuntur. Eorum materia aut flatus est, aut acer aeruginosus humor, qui quum diu restagnatus in visceribus restisset, tandem inusitatam viam in abdominis spatium, aut in peritonaeum sibi patescit: et haec in diuturnis febribus contingunt, etc. BALLONIUS notat: In aliorum scriptis hoc non inveni. FERNELIUS vocat dolorem colicum non legitimum: dolor non est erraticus, sed in imo ventre fixus manet, et intolerabilis est, fotibus paulum quiescit, sed multo saevior repullat.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

ANNALES

Genevensis conventus pro discessu ab armis.

In nova Genevensis conventus sessione pro discessu ab armis Italicus minister Grandi fusam habuit orationem ut arma ad offensionem tollerentur: hinc populorum defensio et securitas firmaretur; condicione magis favorabiles fierent quo Nationum Societas auctoritatem suam impositura esset; facilissima denique ratio praeberetur ad arma re ipsa imminuenda. Oratori assensi sunt Brasiliae, Turcarum, Hispanorum, Polonorum, Iaponiorumque legati; Americani et Angli accessere, quippe qui propositiones fecissent ab Italiciis parum seiunctas; Iugoslavi, ex adverso et Persae ad Gallica consilia inclinarunt, propugnantes pro Nationum Societate facultatem armorum ditionem ab omnibus exigendi, quae deinde iuxta opportunitatem uni vel alteri populo distribuenda essent. Post singulas hasce declarationes habitas, technici, qui vocantur, coetus congregati sunt, de terrestris nempe armis deque navalibus et aereis; et sic... ad graecas Kalendas res deducitur.

* *

Nationum societas.

Genevae pariter et Nationum Societas in res suas incubuit. Eius Consilium rata habuit Nummarii Coetus proposita ad subveniendum, per pensionum intermissionem aut levationem, nummariis Austriae, Hungariae, Graeciae et Bulgariae difficultibus. In generali autem conventu relatum est de opere coetus illius ad invigilandum missi, quomodo in ultimo Oriente res procederent.

* *

Sinenses inter et Iaponios discrimen.

De hoc vero argumento novum Sinen-
sium facimus deplorandum fuit: Sciangai
enim in urbe vita nonnullorum legatorum
qui induciarum condicionibus statuendis
adlaborant, a iuvene quodam Coreano per
nitro-glycerum telum petita est. Iaponio-
rum minister vulnere est affectus; item
que militiarum aliquot principes, quorum
unus obiit.

* *

Gallicae reipublicae praeses nefarie interemptus.

Alterum autem execrabilis flagitium in
Gallia perpetratum est die iv currentis
mensis Maii. Perditus enim homo e Russica
gente, manuballistulae ictibus, Dou-
mer, reipublicae Praesidem, dum prae-
sentia sua exhibitionem librorum quam-
dam honestat, ignave confudit.

Omnium humanarum gentium vehe-
mentissimae detestationi et vocem nostram
ex animo addimus; atque viro, qui iam
filios quatuor patriae in bello devoverat,
huiusque sortes his diebus probe modera-
batur, Superorum praemium et requiem
imploramus.

POPLICOLA.

VARIA.

Hebraeorum comploratus.¹

Hebrei, quum a Romanis subactam
triumphantamque Hierosolymam perdidis-
sent, ex finitimis regionibus, certa anni-
die, teste sancto Hieronymo, illuc conve-
nire consueverant, calamitatem suam si-

¹ Ex italicis *Orationibus P. SEGNERI* (28, 6).

mul lamentaturi, sed ritu, nisi mea me
fallit opinio, omnium qui apud aliquam
miserrimam gentem viguerint, maxime
insolito. Rem accipite; est enim plane di-
gnissima quam intellegatis.

Aetate sancti Hieronymi Hebraei gra-
viter vetabantur Hierosolymam pedem
inferre, praeter diem quae ex complora-
tione nomen ceperat, quaeque ipsa annua
dies erat, qua Romanae legiones, passis
signis nudisque ensibus eam urbem irru-
perunt atque exciderunt. Verum ne hac
quidem die integrum Hebraeis erat hanc
urbem ita comploratum intrare, nisi prius
magnam pecuniae vim exsolvisserent. Idcirco
hanc aerumnosam gentem videre erat pe-
cuniae largam, ut lacrymandi desiderium
explere sibi liceret, iusto Dei consilio rem
hanc moderante, ut sanguinem divinum
emere ausi, eo redigerentur, ut suas ipsi
lacrymas emerent.

Itaque quum venisset constituta dies,
miseri illi populi undique turmatim ad-
ventabant: viri, mulieres, senes, pueri,
viduae, virgines: omnesque pariter acce-
dentes lugubri pullaque veste induiti, cri-
nibus passis, coma neglecta, demissis ocu-
lis, pallentes, moesti, muti (quoad in tanto
moerore patiebantur vehementes gemitus
ex obtrito corde profecti), appropinquabant,
iram divinam et vultu, et incessu, et ha-
bitu totoque corpore manifeste prodentes.
Ubi ad portam urbis ventum erat, omnes
in unum confluebant, et illico effusis fleti-
bus simul se tradentes, alii pectus, alii
vultum sibi tundentes, alii scindentes
crines intro se inferebant. Illarum via-
rum domorumque conspectus (etsi aliae
essent ab iis quas patres eorum habi-
taverant) vehementiores singultus expri-
mebat; et confessim, ritu superstitionis
iuxta atque lugubri, infortunata gens tem-
plum sollicite requirebant; ubi noverant
illud iam non superesse, eoque haud
invento, nunquam quiescebant, sed circum-
euntes, procedentesque de vico in vicum,

de foro in forum, sanctuarium incensum,
altare eversum, turres ac gozophilacia
deleta, vastatas porticus eiulantes lamen-
tabantur.

Tam altae moestitiae plus addebat hor-
roris musica instrumenta, quae eorum
eiulationibus querulo clangore adsonare
exaudiebantur. Nec enim in tanto sollemini
deerant iis faciles tubae et citharae, non
tamen, ut olim, iucundae atque harmonicae,
sed querulæ ac dissonae, ut, sicuti Sanctus
notavit, citharas in luctum, tubas in dolorem
versas, omnemque laetitiae sonum
in planctum desiisse, confirmaretur. Ita ad
multas horas infelices conquerebantur, un-
dique a militibus circumclusi, hic coactis
ad urbem, uti fit in magna hominum fre-
quentia, tutandam vel a conatibus exteror-
um, vel a tumultibus indigenum. Denique
exire iussi, ab illis moenibus miseri, ut
ita dicam, oculos nesciebant avertere: pre-
cibus milites fatigabant, ut flendi copia
diuturnior sibi daretur; hi vero non minus
precibus surdi, quam lucri cupidi: «Si plus
vultis lacrymarum — aiebant — plus date
pecuniae». O rem supra fidem! Ad id
quoque adducebantur nonnulli, quantalibet
egestate aut avaritia distinerentur, alios-
que e crumena nummos eductos, aliarum
lacrymarum pretium numerabant; quasi
nondum ad satietatem flevissent.

G.

* *

Talpa.

Talpa animal est oculis captum. Hoc
ad matrem aliquando suam: «Morum vi-
deo» — dixit. Atque iterum: «Thuris odor
complevit nares meas». Tertio: «Sonitus
aeris attingit aures — inquit — meas». Cui
mater respondit, se intelligere de dictis,
non modo ipsum lumine, sed odoratu etiam
atque auditu privatum esse.

Fabula notat gloriosos et Thrasones
istos, qui dum se mirifice ostendunt et
iactant, in minimis saepe deprehensi
redarguuntur.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Puls ex solanis tuberosis cum pisis.
Artocreas oryzinus cammaris fartus.
Coturnices lardo obvolutae in igne ver-
satae cum nasturtii officinalis acetariis.
Asparagi ad butyrum et caseum acti.
Sucus citrei limonii gelu concretus,
in ipsa cortice ministratus.

* *

locosa.

TUCCUS in schola.

MAGISTER: — O Tucci, si pater tuus a
me hodie libellas quingentas mutuo acci-
piat, centenas singulis mensibus resti-
tuendas, abhinc tres menses quot libellae
ei reddenda restabunt?

Tuccius prompte: — Quingentae.

— Barde! Numerorum scientia ignota
prorsus tibi est!

— Imo tibi ignotus est pater meus!

Tuccii pater dulciariam exercet. Adole-
scenti emptor quidam assiduus:

— Tucci, quot crustulas in singulos dies
hic voras?

Tuccius: — Vah! Meus pater semper
crustulas diligentissime numerat; nihil
mihi restat, quam furtim eas lambere!

* *

Aenigmata.

I.

Laevum infausta gerit vitae, vel fausta secun-
dum;

Si legis a planta, quemlibet esse negat.

II.

Sum genitor prolesque mei nulloque creante
Parturiens, vitam morte reformato novam.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Noctu-a*; 2) *Situ-
lus, Situla*.



[7]

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

C MAR 40

Postremo rerum naturalium causas nexusque phaenomenorum novisse tum est dulce, ut, quo quisque in eo genere viderit, eo magis ad cognoscendum invitetur. Sic per exploratorum inventa cognitum est arcticam terrae partem profundo tegi mari, et hoc circumdari terrarum quasi circulo; partem contrariam, antarcticam, arduissimis premi terrae molibus et ageribus montium. Quae res miram portendit totius globi terrei structuram, praesertim consideranti alia: posita esse graviora terrae pondera in quibusdam latitudinibus septentrionalibus et versus antarctidem cuneari terras, sed tum demum ea structura terrae totius certo cognoscitur, cum forma et structura antarcticae continentis perspecta erit. Inter alia hoc quoque oportuerit inquiri, verene illa iuga montium, quae littoribus terrae Victoriae imposita sunt, polum versus continuata, exeant in tractus Grahamiae,¹ et his respondeant magna illa Americae occidentalis iuga. Sic enim Scotto in priore itinere et Shackletoni placuit. Quod si ita est, claudetur, quem Pacificum vocamus, oceanus circumcirca tamquam corona praeruptis littoribus terrarum, et, quoniam in ora ter-

rae Victoriae multi inveniuntur igniarii¹ montes, alii extinti, alii etiamnunc ructantes, totum mare Pacificum cingetur Vulcanis ignibus. Haec perserutari, cognoscere, haec quasi oculis cernere non dicemus rem esse plenam voluptatis?

Ergo ipsa structura terrei globi hominum ingenia ad cognoscendum eliciuntur in regiones antarcticas. Sed multa alia per vestigatoribus praemia exposita sunt. In continente antarctica non solum eruptiva² saxa inveniri constat, sed etiam sedimentaria³ cum fossilibus animantibus. Ex qua re sequitur alias olim fuisse illic animantium condiciones atque nunc sunt, quemadmodum etiam in arcti regionibus tempora fuisse necesse est, quum semper viferent herbae. Nunc vero in antarcticis regionibus nullae omnino stirpes aut certe infimorum ordinum sunt.

(Sequitur). A. HABERL.

¹ Malui dicere Grahamiam, quam Terram Grahami. Est autem appellata ex Iacobo Roberto Georgio Graham, rei maritima administro. (1792-1861). Grahamia contra meridianam Americam posita magna paeninsula esse videtur continentis antarcticae. Inventa est primum anno 1832, iterum 1838. Huc advecta est anno 1902, Nordenskiöldo duce, expeditio Suecica. Est fere oppleta montibus et glacie, parum pervestigata.

¹ Quem pueri «ignivomum» montem didicimus, hoc loco «ignarium» montem dicere ausi sumus, quo iure, tuo sane iudicio relinquentes.

² Saxa «eruptiva» nota geologis vox est et iuste novata. Sunt autem ea quae quum liquentia ex interiore terra erumpabant, partim in ipsa terra obdurebant, partim in terrae superficiem effusa.

³ «Sedimentaria saxa» geologi vocant stratas materiae in mari fundis paulatim duratae.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.